



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 48. Joannis Molani extrema.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI.
A C. 1585.

perspecta haberet, eundem utriusque signaturæ Referendarium, & postea Datarium, ac denique Cardinalem renuntiabat unacum aliis, quos anno Christi millesimo quingentesimo septuagesimo octavo in septima Cardinalium inauguratione creaverat: verum Contarellus, cum interfuisset Comitiis Sixti V. post Gregorii obitum, supremum diem egit Romæ anno salutis millesimo quingentesimo octuagesimo quinto, ætatis suæ sexagesimo sexto die vigesima octava Novembris, atque in sacello a se magnis sumptibus constructo, dotatoque in Ecclesia S. Ludovici nationis gallicæ sepulcro conditus est.

§. XLVIII.

Joannis Molani extrema.

Miræus e-
log. Belg.
tom. 4. p. 33.
Dup. script.
Sæcul. XVI.
p. 4. fol. 458.
Maillet di-
scours. sur
les vies des
saints.

Hic idem annus nonnullis quoque scriptoribus Ecclesiasticis exitialis fuit, & quidem hos inter primus obiit Joannes Molanus Insulis in Flandria anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo tertio natus ex Patre Henrico Vermeulan, qui ad præfatam urbem concesserat, ut ibidem Gallicum idioma addiscere posset: postquam vero Joannes a suis Parentibus studiorum causa Lovanium missus fuerat, ibidem in Theologia Doctoratus laurea insignitus fuit, ac Theologicas disciplinas publice tradidit, prout

prout sepulchralis illius inscriptio testatur: insuper a summo Pontifice, & Hispaniæ Rege librorum censura ei fuerat demandata: nihilominus cuncta hæc munia præpedire haud poterant, quominus assidua diligentia literis, ac præprimis Theologiæ, & antiquitatum Ecclesiasticarum studio incumberet, pluraque ingenii sui monumenta posteritati relinqueret, inter quæ præcipue commendantur Usuardi Martyrologium ab ipso doctissimis, uberrimisque adnotationibus illustratum, necnon tractatus de Martyrologiis unacum Chronico cunctorum Flandriæ Sanctorum, Calendarioque Ecclesiastico: scripsit etiam aliquod illorum, qui medicam artem professi sunt, Sanctorum diurnale, necnon sacram militiam Principum, & & Brabantiæ Ducum, nec minus edidit responsum quodlibeticum ad quæstiones circa sacras Imagines, preces pro defunctis, atque Eucharistiam illis, qui ad mortem damnantur, administrandam: præterea sequentes evulgavit libros I. tres tractatus de Canonicis, II. quinque libros de fide hæreticis, rebellibus, & tyrannis servanda, III. de Testamentis, piisque Legatis, IV. Compendium Theologiæ practicæ. V. Bibliothecam de materiis Theologicis. VI. Di-

Sæcul. XVI,
A.C. 1585.

Sæcul. XVI. VI. Discursus duos de Decimis, ac de
A. C. 1585. Ceris, quæ *Agnus Dei* vocantur.

§. XLIV.

Christiani Adrichomii mors.

*Val. Andr.
Bibl. Belg.* Alter erat Christianus Adrichomius
 Delphii in Hollandia anno Christi
 millesimo quingentesimo trigesimo ter-
 tio natus, atque anno ætatis suæ quin-
 quagesimo secundo die vigesima Junii
 Colonizæ mortuus. Hic vix vigesimum
 septimum ætatis suæ annum compleve-
 rat, dum suo Patre orbatus Sacerdotio
 initiabatur, ac Delphii conscientias
 Monialium ad sanctam Barbaram mo-
 derari jussus a Protestantibus ex præfa-
 ta urbe expellebatur, unde partim
 Mechliniæ, partim Trajecti ad Mæ-
 num, ac denique Colonizæ reliquos vi-
 tæ suæ dies transigere coactus est, ubi
 etiam Jesu Christi vitam ex quatuor
 Evangelistis compilatam, nec non ser-
 monem de beatitudine Christiana con-
 scripsit: edidit etiam ingens volumen
 de terra sancta unacum Tabulis Geo-
 graphicis, & descriptione urbis Jero-
 solymitanæ præter chronicon veteris, &
 novi Testamenti, quæ tamen opera
 non nisi post ejus obitum anno Domini
 millesimo quingentesimo nonagesimo
 Coloniensibus literis excusa prodire.
 Ceterum hic Scriptor nimium fabulis,
 quas